

Petrus de Vinea

*Ep. VI 18 (Quam sit
fauorabilis magnificentia...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. VI 18 (Quam sit
fauorabilis magnificentia...)*

1220-1250

Fridericus misericorditer remittit sententiam ultimi supplicii cuidam homicidae.

1. Quam sit fauorabilis magnificentia Cesaris, et quam sit affabilis petentibus misericordiam uultus eius, ex presentis negotii serie potestis aperte conicere. 2. In quo sic est operatus iustitiam, ut per misericordiae semitas dirigat gressus suos, sic misericorditer est profectus, ut partem iustitiae non excludat, et ut consulatur animae mortui potius quam uindictae: nec impunitum penitus dimisit noxium, nec perdere uoluit ad suae pietatis refugium proclamantem. 3. Tales etenim sunt magnifici principis uiae suae, ut in hiis reperiatur noxius suum precipitium, ut formidet, et supplex ac humilis misericordiae fomitem, ut respiret: quia nec sitit sanguinem, sed iustitiae uiam inuenit miserendi, nec parcat noxio, quem reddit culpabilem temeraria presumptio delinquendi. 4. Sermo hic est... de ... captiuo, quem propter homicidium, non ex proposito sed rixa interueniente commissum, nostra sententia ultimo supplicio condempnauerat: qui, licet ante iudicem ... examinatore iustitiae stricto iure inexcusabilis sit repertus, tamen coram summi clementia inuentus est misericordia non indignus; et quem iudicialis rigor oppresserat, in uerbo principis factus est rediuuius. 5. Sicut in autentici scripti nostri serie uidebitis contineri, quod latrrix presentium operosa monstrabit.